

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Luxuria ab
cum fonte primo

Blandum malum luxuria quam accusare
aliquando facilius est quam uitare,
que

Blandum etiam malum luxuria, quam accusare
aliquanto facilius est quam uitare,
operi nostro inseratur, non quidem ut ullum
honorem recipiat, sed ut se ipsam recognoscens
ad paenitentiam impelli possit.

Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*,
9.1.praef. (J. Briscoe ed., pp.566-7, ll.1-4).

inuictum Hannibalem armis illecebris
suis complexa, uincendum Romano militi
tradidit. Illa ducem uigilantissimum, illa
exercitum acerrimum dapibus largis habundanti
uino, unguentorum flagrancia, ueneris usu
lasciuiore ad sompnum et delicias euocauit.

Quid hiis ergo uiciis fedius? Quid eciam
damnosius quibus uirtus atteritur, uictorie
relanguescunt, sopita gloria in infamiam
conuertitur, animi et corporis uires
expugnantur, adeo ut nescias an ab hostibus an
ab illis capi perniciosius habendum sit?

Valerius libro IX.

At Campana luxuria perquam utilis nostrae
ciuitati fuit:

inuictum enim armis Hannibalem inlecebris
suis complexa uincendum Romano militi
tradidit. illa uigilantissimum ducem, illa
exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti
uino, unguentorum fragrantia, ueneris usu
lasciuiore ad sompnum et delicias euocauit.
ac tum demum fracta et contusa Punica
feritas est, cum Seplosia et Albana castra
esse coeperunt.
quid iis ergo uitiis foedius, quid etiam
damnosius, quibus uirtus atteritur, uictoriae
relanguescunt, sopita gloria in infamiam
conuertitur, animique pariter et corporis uires
expugnantur, adeo ut nescias ab hostibusne an
ab illis capi perniciosius habendum sit?

Valerius Maximus, *Facta et dicta memorabilia*,
9.1.ext.1(J. Briscoe ed., pp.573-4, ll.128-140).